

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

do, inquit, gratiosam fecerit vocem suam, ne credideris ei: quoniam septem abominaciones sunt in corde illius. Prov. 26. v. 25.

Exemplum habemus in Principe Pharisæorum prælecti Evangelii: qui Christum Servatorem, animo ut videri volebat, amico ad cœnam invitavit: sed anguis in herba latuit: observabant enim eum, ut Evangelista memorat. Hoc est, id studebant, ut ex Christi verbis & operibus quicquam exciperent, quo ipsi periculum struerent.

Id non latuit Servatorem: ipse enim sciebat, quid esset in homine, Joh. 2. vers. v. ult. Attamen ad convivium hoc hypocriticum apparuit, eosque adeo in insidiis suis confudit, ut nullo verbo respondere potuerint: sicuti lapis de monte sine manibus abscissus, statuas Nebucadnezari visam plane comminuit. Non enim est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Prov. 21. v. 30.

Nos absque ulteriori præloquio ad ipsam Evangelii tractationem accedemus, pro instituti nostri ratione, ex eodem meditatiuri:

I. *Ἀνθρώπων λογίαν*, sive notitiam nostri.

II. *Χριστοῦ νομίαν*, sive notitiam Christi.

JJ.

Exegesis.

**H**Aud inconcinne Pharisæi & Scribæ à Christo, ejusque præcursore Baptista, progenies viperarum appellantur, Matt. 3. v. 7. 12. v. 34. c. 23. v. 33.

Quemadmodum enim vipera maxime venenata sunt, & quando in herba latent, facili actu suo hominem lædere possunt: sic illi acuerunt linguas suas, sicut serpentes: venenum aspidum sub labiis eorum,

Psal. 140. v. 4. simularunt se quam maxime probos esse: sed data occasione, uno impetu venenum suum effuderunt, sicut hic in Christo luculentum exemplum habemus.

Sicut autem prudens Medicus & Pharmacopola ex aspidibus venenatis saluberrimum alexipharmacum conficit, velut quoque ad theriacam conficiendam adhibentur, si ve bala Theriacæ sunt, sine quibus illa parari nequit, ut Galenus indicat.

Sic & Christus experientissimus ille Sanator, Exod. 15. v. ult. technas Pharisæorum ad bonum finem direxit, ut hydropicum ille sanaverit, ejusque concio convivialis, quam occasione hujus epuli habuit, informationi nostræ adhuc hodie inserviat.

Occasionem ad notitiam nostri discendam, præbet nobis prælectum Evangelium, si spectemus:

I. *Pharisæicum convivium*. Accidit enim, cum introisset Jesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum, sabbatho manducare panem.

In hoc convivio invenitur.

I. *Aliquid laudabile*. Convivia enim instruere, neque Deo, neque verbo ejusdem repugnat. Ideoque in singulari benedictione habetur, quando Deus fertilitatem & pacem largitur, ut amicus amicum suum subter vineam & subter ficum vocare possit, Zach. 3. v. 10. Imprimis vero hoc in Pharisæo laudem meretur, quod nullos dapsiles sumtus fecerit: sed parce; siquidem Evangelista refert, quod Christus venerit in domum ejus, ad manducandum panem. Et si autem scripturæ familiare est, ut per panem Synechdochice totum epulum indiget, 2. Sam. 9. v. 2. attamen hoc ipso *ἀνὰ φραγέτα* respicitur, ne luxui indulgeamus, sed temperamenta sumtuum adhibeamus, præci-

Yy

puua

puum vitæ hominis aqua & panis, Sir. 29. v. 28.

2. *Aliquid culpabile.* Non enim animo sincero, sed ideo Christum invitaverat, ut ipsi periculum concinnaret, ideo dicit Evangelista: *non enim ad salutem meam autem, an ex verbis ejus quicquam excipere possint, quod eum in discrimen adducerent.*

Olim convivia eo sine parata sunt, ut in iisdem amicitia vel nova iniretur, vel vetus confirmaretur, ideo omnia sub rosa peragebantur, sicut imprimis Spartanis in usu fuit, ut convivas ad fores duxerint, & dixerint: Hac non egrediatur sermo. Quo collinente quoque videtur Horatius, inquitens:

-- Ne fidos inter amicos

Sit, qui dicta foras eliminet.

Sed hic Phariseus cum confortibus suis non ideo Christum invitaverat, ut amicitiam cum eo facerent: sed ut cum in sermone caperent, & periculo exponerent. Hic fuit panis mendacii, quem quilibet abhorere debet. Prov. 23. v. 4.

*Hic proba te, mi Christiane! an profusus epulas adornaveris, & quo animo convivas invitaveris?*

Hic audimus Christum in domo Principis Phariseorum convivio exceptum, qui sine dubio opibus valuit, idemque sine detrimento facere potuit.

Id ipsum vero adhuc hodie licitum est, iis, qui facultate hac pollent. Splendidum in panibus benedicent labia multorum, Sir. 31. v. 28.

Vitetur autem:

1. *Frequentia.* Verum enim est illud Matthesii: *Festa Martini sapius iterata, consumunt anseres & prava.* Tandem sequitur penuria. Qui diligit voluptates, in egestate erit, Prov. 21. v. 17.

2. *Luxuria: Siboni sunt, quos invitasti, satis erit: si mali, plus satis, dixit Socrates:*

Si dat oluscula  
Mensa munuscula  
Pace quieta:  
Non pete grandia,  
Lautaque prandia  
Lite repleta.

Hoc est, uti Salomo explicat: Melius est, parum cum timore Domini. Prov. 15. v. 17.

3. *Perfidia.* Ne idem accidat quod Christo à Principe Phariseorum. Hac intentione Saul quoque Davidem invitavit, 1. Sam. 18. v. 21. c. 19. v. 10.

Ejusmodi convivia hodie adhuc instruantur, ut recte dixerit Poeta:

-- Non hospes ab hospite tutus.

Mel in ore, verba lactis.

Fel in corde, fraus in factis.

Regius Psaltes ita eos delineavit: Blandiores sunt ore suo, quam butyrum: molliores sunt sermones ejus oleo, & ipsi sunt jacula gladii, Psal. 55. v. 22.

Hi male feriati sunt: & quia in conversatione eorum periculo expositi sumus, apprimè nobis cavendum est, ut prudentes simus velut serpentes, Matth. 10. v. 6. cum Davide orantes: Ne trahas me cum peccatoribus. Psal. 128. v. 3.

Imprimis caveamus, ne & nos colubri- no ejusmodi ingenio simus. Odit enim omnes qui operantur iniquitatem Dominus. Psal. 5. v. 7. Psal. 55. v. 24.

II. *Præsentem hydropicum.* Et ecce, homo quidam hydropicum erat ante illum. Cyrillus, huic hydropicum studio per Phariseos in insidiis locatum, & in ædes Pharisei hujus introductum fuisse, eo sine, ut Chri-

Christus per ipsum periclitaretur, autumat. Quod veritati maxime consentaneum est, secus enim domum principis Phariseorum introire ei non licuisset. Opulentiores enim facile ex adpectu agrotorum nauseam capere possunt. Quia igitur nemo presentiam ejus improbat, hinc facile constat, quod data opera eum adduxerint, non dubitantes, quin Christus pro consueto more eum sanaturus, & sic sabbatum, ut ipsi quidem opinabantur, violaturus esset.

Quicquid hujus sit, in convivio hoc *hydropicum* praesto fuisse, audimus, qui ita intumuit, ut vix spiritum ducere, & gradum promovere potuerit, ut experientia in ejusmodi hominibus testatur.

Hoc exemplum attentius nobis considerandum est. Quod si enim probe rem perpendimus, *hydropico huic non dissimiles sumus propter peccatum*, quod velut aquam bibimus. Job. 15. v. 16. Gen. 6. v. 5. Rom 7. v. 21.

Medici tres *hydropis* species numerant, quae sunt, *anasarca*, *Tympanites*, *Ascites*. *Anasarca* hydrops est, per totum corpus diffusus. Hoc ipso peccatum originale intelligi potest, quod in omnibus membris militat, Jac. 4. v. 1. ut quilibet queri opus habeat cum Paulo: Scio quod in me, hoc est in carne mea, &c. Rom. 7. v. 18. 24.

*Tympanites* constat ex flatibus, & ventrem inflat, ut pulsatus, instar tympani sonum edat. Haec imago est peccatorum actualium, quae per opera mala se exerunt, & hominem ducunt ab iniquitate ad iniquitatem, Rom. 6. v. 19.

Quod si fit, ut ejusmodi homo malleo legis feriat, quae quasi malleus conterit petram, Jer. 23. v. 29. nihil id facit, sed contradicit, Tit. 2. v. 9. dicens cum auditoribus Je-

remia: Sermonem, quem locutus est ad nos &c. Jer. 44. v. 16. Huc pertinent ebriosis, *φιλαλεια*, libidinosi, sanguinolenti, ambitiosi, & id genus alii, qui in peccatis contra conscientiam viventes reverti nolunt, Jer. 5. v. 3. sed conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens, ad praelium, Jer. 8. v. 6.

*Ascites* ventre & cruribus conspicitur, reliqua vero membra tabescunt, ut praeter cutem & ossa vix quicquam appareat. Hoc *renatis* applicari potest, in quibus reliquae peccatorum haerent, non vero regnari patiuntur in mortali suo corpore, Rom. 6. 12. sed crucifigunt carnem suam cum concupiscentiis, Gal. 5. v. 24. ut ipsis inserviat, *περὶ δαμονων*, ad exercitium poenitentiae, spei invocationis, e. s. u.

Proinde non leviter hoc existimemus, sed probe perpendamus internam hanc nostram corruptionem, qua ita perditum sumus, ut à planta pedis usque ad verticem in nobis nulla sanitas, Esa. 1. v. 6.

*Hydrops omnes internas animi & corporis vires enervat*, ut homo vocationi suae praesse non possit: ita per peccata in hanc miseriam devenimus, ut animalis homo non percipiat ea, quae sunt spiritus Dei, 1. Cor. 2. v. 14.

*Hydrops homini edendi appetitum aufert*, & facit, ut cibum digerere non possit: Sic liberum nostrum arbitrium per peccata adeo corruptum est, ut tædio afficiamur spiritualis cibi, verbi Dei, & sacramentorum: & si illis utamur, non digne praeparemus nos, ut sic utrumque in damnationem nobis cedat. Joh. 15. v. 6. 1. Cor. 11. v. 29.

*Hydrops hominem scædi aspectus facit*, ut seipsum saepe non agnoscat: Sic & nos peccatum in oculis Dei deformat, dum ima-

magine[m] Dei, ad quam primitus creati sumus, in nobis exstinguit, & contra in larvan fatanz nostram mutat, ut hic locum habeat, illud Jeremiæ: Candidiores Nazarzi ejus nive, &c. Thren. 4. v. 7.

*Hydrops oritur à debili hepate, & corrupto stomacho, quo concoctio impeditur, ut omne nutrimentum in aquosam saluginem abeat: Sic ubi spiritualis hydrops invaluit, verbum Dei, animæ cibum, parum prodest, & fit odor mortis in mortem, 2. Cor. 2. v. 6. Sir. 11. v. 33.*

*Hydrops indies incrementa capit, & degenerat ex una specie in aliam, donec certa mors sequatur: Sic & unum peccatum ex alio originem trahit. Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum. Jac. 1. v. 15.*

*Hydrops eos, qui illo infecti sunt, licet morti vicini sint, vana spe lætatur, quod convalescere possint. Sic impios non fugit, peccati stipendium esse mortem, Rom. 6. v. ult. attamen securi dicunt: Neque ab oriente neque ab occidente, neque à desertis montibus malum veniet, Psal. 75. v. 7. Sed repentinus eis superveniet interitus, 1. Theff. 5. v. 3. & sicut ceciderit lignum, sive ad austrum, aut ad aquilonem, ibi jacebit, Eccl. 11. v. 3.*

Quia igitur tantæ miseræ subjecti sumus, Dilecti! ad Christum properabimus, seria pœnitentia opem ejusdem implorantes: sic præpotenti dextera sua nos prehendet, ut sanemur & æternum salvemur. Est enim Magister sanationum, Esa. 63. vers. 1. De quo omnes Prophetæ testimonium perhibent, Act. 10. v. 43.

III. *Problema sabbaticum.* Quamprimum enim Christus hydropicum conspexit, conturbata sunt viscera ejus super eum. Quia vero probe cognoscebat, quod Phati-

sci se observarent; interrogat eos: an liceat sabbatho sanare? At illi, ne à Christo in ruborem conjicerentur, tacuerunt.

Hæc *quæstio magni momenti* est. Sabbathum enim Deus statim post creationem destinatè ordinavit, requievit enim die septimo, ab universo opere, quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificavit illum. Gen. 2. v. 2. Postea ubi in monte Sinai legem suam promulgavit, emphaticis his verbis usus legitur: Memento, ut diem sabbathi sanctifices, Exod. 20, 8.

Id apud Judæos adèò rigorosè observatum fuit, ut rebus manuariis omnibus sepositis, unicè cultui divino vacaverint. Non licuit ipsis arare & metere, Exod. 34, 21. non licuit ignem succendere in habitaculis suis, Exod. 35. v. 3. non licuit pondera portare, Jer. 12. v. 21. Non licuit emere & vendere, Nehem. 10. v. 31. non licuit ligna colligere, Num. 15. v. 32. *Hoc respectu non immeritò quarit Dominus: an licet sabbatho sanare?* Facit autem id idèò, ut occasione potiatur, verum sabbathi usum adversariis suis monstrandi.

*Hoc ipso igitur Christus quemlibet nostrum ad noxiam sui revocat, & ut quilibet se ipsum scrutetur, jubet.*

Licetne sabbatho panem & cerevisiam coquere? pecudes macerare? nundinas frequentare, emere & vendere? laborare & iter facere? cauponam adire, & vino se ingurgitare? aleâ & eharta lusoriâ tempus tere-re? &c.

Non dubito, quin in conscientia convictus, confiteri tenearis: non licet. Quare igitur sabbathum adèò malitiosè prophanas? Neque verò existimandum, quia Apostoli septimum diem, in primum septimanæ diem transtulerunt, præcipuè hanc

ob causam, quia servator noster eo ipso à mortuis resurrexit, unde etiam *ἡμέρα κυριακή* appellatur, Act. 1. v. 10. hoc ipso tertium quoque præceptum sublatum, & sanctificationem sabbathi desuisse.

Hoc esset libertatem Christianam quasi velamen malitiæ habere, 1. Petri. 2. Quamvis enim Ceremoniale illud Christus abrogaverit, ut non præcisè dici septimo velut Judæi adstricti sinus, & opera necessitatis exantlare possimus, quæ & hic Christus concedit: Attamen hoc Morale manet, quod sabbathum sanctificare, cultui divino vacare, & omnia horum impedimenta è medio tollere debeamus. Qui hoc non facit, adversus tertium præceptum peccat, & justissimam Dei pœnam incurrit, de quâ Deus: Si non audieritis me, ut sanctificetis diem sabbathi, succendam ignem in portis, Jer. 17. v. ult. Quis hic ignis? Ignis belli, qui ad perditionem devorat, Job. 31. v. 12. Id Judæi experti sunt, quos idè Deus in captivitatem Babylonicam abduci voluit, quia sabbathum prophanarunt. Quia enim tempore pacis ferriari nolebant, & dicebant: Quando transibit mensis, & venundabimus frumenta? Amos. 8. v. 5. Deus Regem Babylonis ipsi immittebat, qui ipsos in captivitate abducebat, donec celebraret terra sabbatha sua, 2. Paral. 26. v. 21. Tandem succedet ignis infernalis, Apoc. 14. 18.

Nos proinde sabbathum, ut decet sanctificabimus, sic felicitas sequetur nos. Custodite sabbatha mea, inquit Dominus, & parete ad sanctuarium meum, Levit. 26. v. 4. Esa. 56. v. 4. 5. Imò tandem eò nos transferet, ubi nulla inquietudo, hydrops & mors nulla erit, sed sabbathum ex sabbatho,

Esa. 66. v. 23.

## De Secundo.

**D**igrediemur nunc ad *alteram partem*, *χρησθησῶν* sive *notitiam Domini nostri Jesu Christi*, meditaturi. Hic nobis commendatur:

I. *Tanquam honestorum conviviorum approbator*. Introit enim in domum cujusdam Principis Phariseorum, manducare panem.

Quod si igitur peccatum & contra Dei legem foret convivia apparare, aut ea accedere, Christus iis non interfuisset, qui Sanctus Sanctorum est, Dan. 9. v. 24.

Verum non tantum ante incarnationem suam Abrahami conviva fuit, in forma Angeli, Gen. 18. v. 8. sed in diebus quoque carnis suæ invitatus, præsentiam suam non subtraxit. Sic haud invitatus adfuit Matthæo, Matth. 9. v. 10. Zachæo, Luc. 19. v. 6. Lazaro & fororibus ejus, Luc. 10. v. 19. & imprimis in nuptiis Cananæis, Joh. 2. v. 2.

Hinc apparet, eum *verum & naturalem hominem esse*, qui nobis, fratribus suis, per omnia assimilatus fuerit, excepto peccato, Hebr. 2. v. 17. Ideoque *conversationem humanam non abhorruit*, sed gavisus est cum gaudentibus, Rom. 12. v. 15. Sicut & expresse ait: *Deliciæ meæ cum filiis hominum*, Prov. 8. v. 31.

Hanc *φιλαρθεωπία* ejus, & nos imitemur. Homo est animal sociale, ait Aristoteles, ideoque sui similem appetit, & ab honestis invitatus, apparet, & in timore Dei est illi gloriatio, Sir. 19. 23. Tempus enim est flendi, & tempus ridendi, Eccles. 3. v. 4.

Arsenius fuerat Imperatoris Theodosii Præceptor, tandem à consortio hominum recessit, factus Anachoreta. Comperiens id Theophilus Episcopus Alexandriæ, assum-